

42

A. G. S. N.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
**SACERDOTE
CHEMICO,**

CUJUS
PARTEM PRIOREM
Consentiente Amplisf. FACULT. Philos.
PRÆSIDE

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo

**D^N. PETRO ADRIANO
G A D D,**

Chem. PROF. Reg. & Ordin. Rei Plant. DIRECT. Finland.
nec non Reg. Acad. Scient. Holm. MEMBRO,
& h. t. RECTORE MAGNIFICO.

Publicæ disquisitioni submittit

ADOLPH. FRIED. STENFELDT,
V. D. M. VIBURGENSIS.

HORIS POST MERID. CONSV. DIE II. MAJI
IN AUDITORIO SUPERIORI.
ANNO MDCCLXIX,

A B O Æ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo

DOMINO CAROLO
ÖSTBERG,

Ecclesiarum quæ DEO in Jemsö, Corpilax & Pátájávesi
colliguntur, PASTORI meritissimo.

PARENTIS LOCO COLENDO.

Plurimis quidem Fautoribus ob innumera in me col-
lata beneficia venerationem debeo; TIBI vero PA-
RENS OPTIME quam maximam; TIBI, inquam, Cujus
in me tot extant merita, quot unquam possint ex-
cogitari Permittas itaque PARENS OPTIME, ut hîc
studiorum primitiis TIBI consecratis, significem,
quo, quantoque TE prosequar obsequio. Repen-
dant TIBI propitia fata, hunc Tuum erga me Pa-
ternum affectum. Vive diu, vive felix, Ecclesiæ
& litteris ornamento, nobisque in fulcrum & præ-
sidium.

Ad cineres usque permanebo

REVERENDI NOMINIS TUI

cultor humillimus

A. F. STENFELDT.



§. I.



Inscriptioni hujus opellæ satisfactorus, tribus solum verbis, ut ajunt, prænotare volo, me in argumento de Sacerd. Chem. elaborando, non ejus esse opinionis, ac si foret Artis Spagyricæ notitia Hiero sacro adeo necessaria, illa ut destitutus officio suo rite fungi non posset, id non volo, & multo minus eo audaciæ procedo ut animadversionibus hisce omni nitore destitutis, novum systema ex Chemia & Theologia conflatum fabricarem; Athenæ hæ sunt illationes mihi non imputandæ, etenim eo magis horret animus de ejusmodi infausta harum mixtione vel cogitare; quo infelicius nonnulli tentarunt expositionem corporum naturalium S. Codice occurrentium, ad jejunam ARISTOTELIS physicam speciatim exigere, hujusque ductu prima

rerum principia a MOSE commemorata, utpote *ma-*
teriam primam, lucem primigeniam, in mo spiritum aquis
incubantem, proterve explicare. Quin nec laudem
 merentur, qui super ARISTOTELEM, suam philo-
 sophiam præferendo, opus imprimis creationis, quod
 PAULUS ait objectum esse fidei Hebr. II: 3. curio-
 sius quam verius rimantur, quorsum, opera BUR-
 NETTI & WHISTONII pertinent, laudatum obje-
 ctum secundum leges motus enodantium. Aut e-
 nim me omnia fallunt, aut hoc, omni exceptione
 majus erit axioma, quod neque MOSES, neque ce-
 teri scriptores sacri voluerunt posteritati commenta-
 rios physicos sistere, sed homines ad veri DEI co-
 gnitionem & cultum perducere. Quo tamen minus,
 physicarum rerum commentatio ab illis ad erroneas
 opiniones vulgi, accommodata sit, ut nonnullorum
 impium est commentum, obstat vel me non monen-
 te singularis illa S. Scripturæ adfectio, Divinam e-
 jus originem arguens, quod nulla tam sublimis, ex-
 cogitari possit veritas philosophica, quæ non effatis
 S. Scripturæ, probari queat, aut saltem cum princi-
 piis rationis rite positis conciliari. Non male igitur
 principia rationis formalia, quæ modum cognoscen-
 di potius, quam res cognoscendas respiciunt, in
 Theologicis esse adplicanda, saniores omnes conce-
 dunt, sed idem quoque de principiis materialibus
 maxime Physicis jure meritoque urgent; Etenim
 cum de infinitis fere veritatibus, ad cognitionem re-
 rum naturalium pertinentibus, in S. Scriptura fiat
 mentio, ex quibus existentia DEI probatur, quis a
 Theo.

Theologia eas arceret, aut Theologo scitu necessarias negaret? Sed nolo his immorari, respiciens exempla solum per S. Scripturam dispersa chemica & mineralogica, sine chemica corporum resolutione vix rite cognoscibilia, utpote quæ dictis fidem faciunt & scopum proprius ferunt meum. Atque sic habes L. B. instituti rationem simulque ex infra dicendis Theologum Chemicum cognoscas.

§. II.

Animum primo advertamus ad Theologiam Exegeticam, videntes quantum huic adjumenti adferat solida chemiæ notitia. Scilicet chemiæ ignarus vel tamquam nudas sine mente voces intuetur, & plane non intelligit veritates Chemicas passim in S. Sacra occurrentes, vel illa perversa interpretatione in absurda deformat sophismata, sicque sæpe ludibrio Atheorum revelationem exponit Divinam; contra vero qui certa ab incertis discernere novit, primo statim intuitu videt, securius omnino procedere verbi Divini interpretem si ipse veritates ejusmodi chemicas ex fundamento cognoverit, quam si fide carbonaria adoptatis aliorum interpretationibus, sæpe male vel confuse intellectis incertus manserit, num illi verum verborum sensum tetigerint nec ne. Has assertiones nostras plurima comprobant exempla quorum nonnulla tantum indigitasse, pro temporis, qua premimur angustia, satis erit. Scilicet, per experimenta chemica innotescit omne alcali minerale cum

acidis effervesce, usumque ejus in vitrificatione & saponificatione esse maximum. De nitro autem constat, quod nunquam utpote sal medium effervescat cum acidis, aut vitrificationi vel saponificationi inserviat. Ebreis usu venit appellare alcali hocce minerale נָחַר Prov. XXV: 20. quod idem erat ac Ægyptiorum natron; fallunt igitur ac falluntur, qui ex hoc nitrum exsculpunt, siquidem hoc nihil aliud est, quam sal medium veteribus vix cognitum, & cujus proprietates demum seculo XIII. occasione inventi pulveris pyrii innotuerunt. Interim peperit apud interpretes confusionem Græcis dictum *ματρωνικον νιτρον* & Latinis nitrum; ubi tamen ex TACITO patet, quam diversum proxime laudatum nitrum fuerit a communi illo nitro seu sale medio; quippe quod illo in vitrificationibus utebantur; sic enim TACITUS, *Belus annis Judaico mari illabitur, ad cujus os collectæ arenæ, admixto nitro in vitrum excoquantur Hist. Libr. V. Cap. 7.* neque rem absolvunt, quamvis propius ad eam accedunt, qui נָחַר per cretam exponunt; Hæc quidem cum acido effervesce, & tamquam terra absorbens cum oleis quadantenus aduniri se patitur; semper autem in calcem, aut nunquam in vitrum abit, neque multum trahit momenti in saponificationibus; id quod de Ebreorum נָחַר dicendum est, præeunte Jer. II: 22. ubi usus ejus in lotionibus ostenditur. Atque hinc commode prædictus locus, Prov. XXV: 20. Svetice verti potest: *Atiſo på Lutsalt;* non vero ut transferri solet, *Atiſo på Rriſo / vel Atiſo på Salkbister.* Tulit porro consuetudo antiqui-
tus

rus faciem inductis coloribus ornare. Cujus rei indicia habemus Hefek. XXII: 40. & Reg. IX: 34. sed non convenit inter interpretes de hocce fuceo vel ornamento faciei. Referunt illud nonnulli ad regnum animale, alii ad regnum vegetabile; ut taceam *Virgilium*, cui ejuscemodi cosmeticum *Assyrium* dicitur *venenum*. Do. JOH. JAC. SCHMIDT vero in Libr. pag. 237. qui *Biblischer Physicus* inscribitur sequentem fovet sententiam; Bei den Orientalischen Völkern war daher vor Zeiten bekant ein gewisses Bleiweiß oder Schmincke; cobol genent/ welches aus stibio oder antimonio bereitet und von den Frauenzimmer zur Schönheit betracht da von zu verstehen. 2 Reg. IX: 34. Hezek. XXIII: 40. cui pollicem premit etiam *Ariusmontanus* in versione latina prædicti loci Hezekielis. Sed repugnat huic opinioni experientia chemica, docens ex *stibio* vel *antimonio* nullum tale fieri cosmeticum, quin potius, ut fucum a fuceo discernatur, erit idem ornamentum faciei, non nisi *magisterium Vismuthi*, vulgo dictum, *Blanc d'Espagne*, *Blanc desperles*.

Quem præterea fugit, quantum vitulus iste aureus a MOÏSE comminutus & liquefactus, atque mandato Divino populo Israëlitico ad bibendum propinatus, quoniam idolum illud adorando, graviter in DEUM peccavit, ingenia vexaverit Eruditorum. Explicationem autem rei simplicem atque æquam præbet Celeber & Experient. D. STAHLIUS in *Observat. Medic. Chemic. Observat. Hallens.* incertis, ostendens argumentis haud contemnendis, Salvo manente

te genuino sensu Textus originalis, vitulum nominatum, *hepate sulphuris* fuisse calcinatum, inque pulverem comminutum, ut cum aqua mixtus potari potuisset.

§. III.

Vitrum, Crystallum, Atque Adamantem congenera esse ait BOERHAVIUS Elem. Chem. p. 51. Hinc קריש apud *Jobum* Cap. XXIII: 17. alii per vitrum alii per crystallum, alii per adamantem explicant. Ipsa autem vox, quæ observante *Fullero Misc. Sacr. Libr. IV. Cap. 9.* semel in Bibliis loco citato occurrit, per se non aliud significat quam quod *purum, mundum, & pellucidum* sit. Utque vitrum a videndo derivatur; Ita antiquos accipimus vitrum dixisse, quicquid pellucidum est & clarum. Hinc tulit mos Grammaticorum, vitri significationem ipsi nomini *ηλεκτρον* tribuere, adeoque quamvis vitrum græcis *υαλον* dicitur, antiquos tamen imprimis HOMERUM & HESIODUM *υαλον* Græcorum non aliud esse, quam *ηλεκτρον*, ex *Schol. Aristophanis*, suo more, id est docte & erudite admodum, J. MATH. GESNERUS observat *Act. Götting. Tom. III. p. 87.* Quod si hæc vel alia fuerit ratio *Fullero* statuendi, posse *Jobi קריש* commode per electrum seu succinum reddi, vix ac vix quidem sine rationibus chemicis rem decidendam agnoscunt omnes. Etenim vario nomine venit suis auctoribus electrum. Scilicet PLINIO intelligitur per *Electrum*, quoddam metalli factitii genus, *ex parte quadam aurii & argenti, commistione*

confectum Libr. Nat. 32. Cap. 4. Eratque illud argento fulgentius, auro autem albidius, quo *Jovis* cellam constitisse auctor est *Julianus* imperator, in describendis cellis imperatorum. Mentionem fulgidi ejusmodi metalli fieri apud *Ezechielem* Cap. 1: v. 4. observarunt eruditi, Hebræo idiomate *לשן* dicti, quod græci interpretes etiam electrum vertebant: immerito tamen hoc ad indigitandum Jobi *זכוכית* refertur, quum modo fides *Fullero* adhibenda sit, per *זכוכית* potius alterum illud electri genus denotetur quodque nihil aliud est, quam bitumen subtilissimum in aquis acido coagulatum, unde corpus exsurgit, durum, fragile, nitens & pellucidum. Hocce insuper electri genere, usi sunt veteres ad conservanda mortuorum cadavera, ut ex *HERODOTO* constat; quæ consuetudo, ut rite intelligatur, facile patet quanta cura veterum scripta legenda, sint, & ad amussim chemiæ exigenda.

Neque, quod ad præparationem olei unctionis *Sacr.* & suffitus sanctissimi attinet, minores lites excitatas videt Theologus, variasque inde natas hypotheses tam de pondere ac proportione, quam modo præparationis. Sed haud difficile dispelluntur hæ lites, chemiæ ope & auxilio. Scilicet peractum est hoc *Eliocharisma sacrum*, non mixtione, sed potius extractione, ut quantum fieri potuit, odoriferarum & volatilium partes oleo insuper infuso extraherentur, eodem modo ac per *cobobationes iteratas*, aquæ odoratissimæ vel olea infusa odorifera, hodie præparari solent.

§. VI.

Quemadmodum non sine significatione vocum rite posita, philologus verum S. Textus sensum eruit; Ita eadem vocis notatio, ad plures res relata, etiam in iis, quæ in S. Scriptura, chemicæ sunt tractationis; interpreti facile imponere potest, ut diversa objecta pro iisdem habeat; si non ex rationibus Chemicis determinare valeat, quid objecto competat, quid vero non. Multa omnino apud, JOBUM Naturæ mysticam habemus nomina, de quibus nihil certi constat, ut *Ramosch*, *Gabisch* &c. nili hariolari velimus. cfr. SCHULTENSII *Comment* in JOBUM. *Cap. XXVIII: 18.* Tamen alia, ut taceam, *Saphiri* mentionem quoque facit, quam si quis ejusdem esse generis, cum saphiris putaret, quæ hodie montibus exciduntur, res, sub eodem nomine, diversas, temere confunderet. Etenim JOBI *saphirus*, non erat nisi *lapis Lazuli*, punctis aureis nativis vel sulphure mineralisatis, collucens; id quod SCHEUCHZERUS haud probabiliter ex BAUSCHIO pluribusque probat, in *Physica Sacra Jobi* pag. 199. Quin prætiosas admodum gemmas mandavit summum Numen pectorali summi Sacerdotis inferendas; quarum notitia ut MOSEN latere nequibat: ita simul intelligitur, quanti intersit *hermeneutico sacro*, ut earum qualitates noscat, & generatim sciat, ex principiis *Hyalurgico encausticis* notas & proprietates gemmarum, cum ad colorem, tum ad pondus, & durtiem. Scilicet ita est comparatum, cum *Theologia nostra victoria*, ut docente PAULO, non nisi per speculum cer-

cernamus. Quare etiam dum res symbolice nobis repræsentantur, Scriptura simul secundum intelligentiæ nostræ consuetudinem se attemperat, ut communia rerum vocabula, ad significationem suæ doctrinæ aptet. Duo igitur, in hoc *ἄνω πάλαιας* sunt momenta maximi ponderis; Alterum quando res supra rationem politæ, sub similitudine rerum humanarum repræsentantur, non possunt non notionēs a rebus humanis sumtæ, & ad aliud subiectum in mysteriis applicatæ, multas notionēs partiales involvere, quæ ad subiectum intentum sunt inapplicabiles. Hæ igitur ceu limitationes, & rebus humanis propriæ, removeri debent a subiectis fori altioris & rationi humanæ impervii. Sic dum DEUS Filium suum generasse dicitur *Pf. II: v. 7.* imperfectiones omnes humanæ generationi adhærentes eliminandæ erunt, utpote a subiecto nimir. DEO alienæ. Quin imo præstat, circa ejuscemodi voces, quæ in Scriptura S. longe aliud quid significant, quam vulgo solent significare, licet vulgares sint & in omnibus linguis obvii, simpliciter idioma sequi Scripturæ, quam ad rigorem philosophicarum definitionum insulle eas exigere. Alterum quod dixi momentum in eo ponitur, ut quæ ductu rectæ rationis inotescent dicta S. Scripturæ, ex rationis principiis dijudicentur. Quominus enim ipsa revelatio, rationi repugnat, eo magis, cum *Physica*, tum *Chemia sacra*, cum scitis sanioris Phylices & Chemiæ, ex principiis suis legitimo modo erutis, convenit. Significationes quidem terminorum, pro conditione

temporis & statu rerum naturalium cognitionis, nunc & tunc diversimode sumuntur, sed quæ penitus perpensa, & secundum schesin scientiæ examinata, sui admittunt explicationem. Prostant plura hujusmodi in supra allatis exempla, quorum adhuc unum alterumve proferam, eo lubentius, quo certius pateat opera Theologi Chemici in Sacra exegesi. Quod antiquis sulphur dicebatur naturæ, illud non est aliud, nisi inflamabile quid primigenium, vel principium activum, pro diversa conditione materiæ structuræque corporum agens; adeoque multum differt a Sulphure mineralisato, constans ex acido vitrioli & terra inflammabili. Igitur verba *JOB*: *Sulphur spargetur in casam vel mansionem ejus* *Cap. XXVIII. 15.* non de sulphure, priori significato, sed posteriori sumto, sunt intelligenda, nisi cum *Coccejo* velis mansionem improbi comburendam, igne cœlitus demisso, ut *Sodomis & Gomoræ* accidit, id quod tamen, non impedit, quo minus de sulphure mineralisato statuatur esse illud ejus generis materiæ, quæ non nisi summam vastitatem infert terræ, unde antiquitus extiterunt ritus, tam spargendi sal & sulphur in agros perpetuæ vastitatis & sterilitatis damnatos, quam lustrandi & expiandi per sulphur ædes & alia loca. Quod vero inflamabile modo dixi principium, aliis sulphur naturæ intellectum, id videtur *JOBUS* per ignem exprimere *Cap. XXVIII. v. 5.* qui ex translatione *SCHULTENSII* sic sonant: *E terra exit panis, & quod sub ea, versum tanquam igne.* Per ignem vult *SCHEUCHZERUS*

notare vel innatum terræ calorem, vel potius igneos terræ recessus; SCHULTENSIUS autem verba illa: *quod sub ea convertitur sicut per ignem, vel, sub ea convertitur sicut ignis*, applicat ad sulphur naturæ, cujus igneo & penetrabile vigore, per omnes terræ fibras diffuso, metalla, gemmæ, & lapides prætiosi generantur atque perfectionem suam nanciscuntur admirabili conversione & temperatione elementorum; cui expositioni, haud immerito ait seriem orationis favere.

Per mortem vegetari semina vegetabilium, res est apud chemicos in confesso. Scilicet destruitur plenaria pristina compositio per fermentationem & corpus ipsum, omni materia inhabitante ita privatur ut nulla adsit vita priusquam novum corpus producat. Adversus eos qui impossibilem putaverunt resurrectionem mortuorum s. carnis utitur PAULUS, laudata ratione chemica, possibilitatem resurrectionis defendendo 1 Cor. XV: 36. Jam licet multa agendo nil ageret, qui modum & rationem proximam, tam sublimis rei sibi proponeret anxie quærendam, quippe quod pia mens, pro certissimo argumento veneretur testimonium Divinum, inque eo tuto adquiescat, credendo fide quamvis non capiat mente. Impio & refractario homini, qui *Plinii regulam habet pro norma: manifesta, inquit, est imprudentia adstringere fidem suam ipsis rebus que captum rationis penitus excedunt*, licet hoc non placeat, Etenim hinc semper impugnat veritates, carnis licentiam destruentes; attamen verbi Divini ministrum, qui che-

miam cælet, contendo, ad momentum rei contro-
versæ, posse perspicacius attendere, fontesque solu-
tionis melius detegere, & tela adversariorum for-
tius obtundere, ac alium ejusdem ordinis, sed che-
miæ profus ignarum.

Innumera fere adhuc sese quasi obtruderent no-
bis argumenta, quæ usum Chemiæ in exegetica Theo-
logia ultra omnem dubitationes aleam ponerent, sed
jubent nos domesticæ rationes hisce alaris hac vice
subsistere ea spe atque fiducia, ut quæcunque aduli-
mus, *νομφωα* sint *γαφαις*, & nihil aliud involvant,
nisi quod cum veritate, consistere possit; cuius au-
ctori DEO, principia nostræ cognitionis debemus,
quique per mille secula hoc est perpetuo, ho-
nestas artes in commodum mortalium
erectas conservet.

